



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Germanicè simul concionatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

Multiplici  
industria  
pietatem  
excolit.

Ergo docere exorsus, ut qui non suæ venabatur incrementa celebritatis, sed id modò agebat, ut auditoribus Christum per doctrinam inseret, multa ad eam rem adiumenta excogitauit. Principio præter ordinarias in Theologia scholas, quotidie priuatas alias instituit domesticos intra parietes; ut ex occasione commodius, ac familiarius auditores in pietate institueret; & ad frequentem exomologescos, ac synaxeos usum alliceret. Deinde ad publicos, priuatosq; schola labores, latinas homiliae adiecit diebus sacris ad studiosam literarum iuuentutem. Quin etiam paulò post morem, qui vigebat Coloniæ introduxit, ut ip̄s̄im̄et iuuenes de virtute quapiam declarent. Quæ exercitatio & ipsis dicentibus instillaret sensim eiusdem virtutis amorem, & Canisio locum præberet opportuna iis monita sugerendi. Super hæc, quoniam vera caritas nihil non, Deo nixa, confidit, & experitur, in Magno ieunio germanice quoque cœpit ad populum verba facere. Nec postea conciones has, quādiu Ingolstadij mansit, ullo unquam tempore intermisit. Ad eas verò tanti fiebant concursus, ut in templum fuerint multo capacius transferendæ:

Germanice  
simul con-  
cionatur.

dæ: & tamen ne illud quidem caperet vniuersos:  
sed multi conferti preforibus, & ad fenestras au-  
diren. Quanto vero salutares magis, quam plau-  
sibiles tractatus essent, vel præsenti argumento  
patebat. Cum enim sacrificium Missæ (ò tempo-  
ra) non leuem in contemptum venisset, soleretq;  
multitudo oscitanter admodum, irreligioseque  
interesse, & magnam partem vix recitato Euan-  
gelio, aut sanctissimo Christi corpore, sanguine-  
que ad adorandum sublato dilabi; quo die con-  
cionem habuerat Canisius, summa omnes pati-  
entia, ac pietate ad finem usque perstabant. Inua-  
serat precandi Numinis negligentia tanta, vt pro-  
pe mortales puderet conspici in ædibus sacris o-  
rantes. Hoc vt vitium tolleret, primum excogita-  
uit vt adolescentes, quorum quasi sodalitatem  
conflauerat, communiter Cælites per Litanias  
inuocarent, & alias preces exequerentur. Deinde  
pro concione ipsem adhortari populum insti-  
tuit ad saluberrimum illum, Deoque gratissimū  
cultum: monitisque omnibus, vt vnâ secum con-  
iungerent preces, simul ac sinem dicendi fecerat,  
flectebat piè genua, & concepta in verba præibat:  
populusque vniuersus item flexis genibus subse-  
que-

*Precium mo-  
rem inducit.*